



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ars Semper Gaudendi**

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per  
Adventuales Conciones

Laetitiae Perfectae Artificium In Conscientiae Recta Efformatione  
inuentum, & per Adventuales Conciones expositum ac demonstratum

**Sarasa, Alfonsus Antonius de**

**Antverpiae, 1667**

§. V. Propositio quinta. Conscientia in actionibus dirigendis, non sequitur  
licitè opinionem improbabilem: admodum autem parum probabilem,  
nonnisi in extremâ neceßitate. Exponitur quaenam opiniones ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11367**

S. V.

## PROPOSITIO V.

*Conscientia in actionibus dirigendis non sequitur licitè opinionem improbabilem: parum autem admodum probabilem, non nisi in extremâ necessitate.*

*Exponitur quænam opiniones sint improbabiles.*

37. **D**enique istud etiam dicendum restat, ex opinione verè solideque probabili, rectè actionem institui, non verò ex improbabili. Improbabilem autem voco, *Primò*, quæ nullâ ratione suffulta est, & tantum eam asserentium, sibi que credi volentium pertinaciâ fouetur. Qualis olim Pythagoræ fuit opiniones suas promulgandi modus; quibus non alia patrocinebatur ratio, quam vnicum istud *ἀντὶς ἑσθ*, talis & Manichæorum erat opinandi pertinaciâ, vti ex Augustino vidimus. Eiusmodi opiniones, quantumcumque plurimos habeant sectatores, semper sunt improbabiles, cum illi ipsi auctores rationem omnem iis detrahant, probabilitatis vnicam animam, primumque fundamentum. Non enim quod pluribus videtur, id est probabile; nisi quòd, cum prudenter agere censeantur, etiam præsumatur esse ratio, ob quam tot viri in vnam cocant sententiam. Hæc igitur si desit, non est quòd ab auctoritate hominum, non ratione, sed merâ pertinaciâ opinantium, vllum, opinioni tam vagæ petatur patrocinium.

*Improbabilis opinio est, quæ nulli rationi innititur.*

Tract. 4.  
n. 17.

38. *Secundò* improbabilis est dicenda omnis opinio, cuius opposita veritas manifeste iam tenetur. Et id quidem rursus clarum est; non potest enim prudenter verum putari, id quod falsum est, quantumcumque rationes videantur afferri verisimiles. Sic improbabile est, quod lumini naturæ manifestè repugnat, quod fidei mysteriis, quod Ecclesiæ, quod Pontificum definitionibus est contrarium; nisi fortè quis veritatem indubitata & infallibilem iis detractam velit. Hinc hæreticorum rationes, quibus v.g. Eucha-

*Improbabilis est opinio cuius falsitas tenetur aut definita est.*

Y

Eucha-

Eucharistiæ Sacramentum, aut Trinitatis mysterium impetunt, quantumcumque ratiocinationi humanæ adulentur & fucum faciant, improbables tamen sunt; quòd veritati nobis reuelatæ eas aduersari jam constet. Frustra etiam est, quòd vt sibi liberam peccandi viam sternant, pluribus è naturâ petitis rationibus, fornicationem de communi peccantium consensu commissam, aliquo casu, sibi aliisque quidam improbè conantur persuadere non esse illicitam. Nam vt tales essent rationes quas dissoluere & expedire esset difficile, tamen ex Sacris paginis manifestè tam perniciosi erroris falsitas & improbitas jam tenetur, & ab Ecclesiâ est proscrip̃ta. Quòd si ergo falsa hæc opinio, sanè probabilis non potest dici ratio, quæ falsitati dat patrocinium.

*Item qua  
contraria  
Pontificum  
decretis.*

Hinc denique, nemo sibi de probabilitate opinionis suæ blandiatur, si quis ei mordicus hæreat, quam à Pontificibus præscriptam scit & condemnatam; neque sibi à contraria sentientium, sibi que fauentium numero, vel auctoritate solatium petat. Frustrà id est profectò; & in re tanti momenti, & à quâ stat genuinus sis Ecclesiæ filius, an projectitiuus & abortiuus, non est quòd sibi quis humanis rationibus palpum faciat. Aut Pontifices errare posse fatendum, quod quidem horribile dictu est, & non nisi desperatæ causæ, deprehensiq; erroris vltimum per fugium; aut istud statuendum, falsas esse rationes omnes, quæ dogma damnatum persuadere videntur (falsi enim rationes, veræ esse non possunt) ac proinde in id incumbere debent legitimi Ecclesiæ & veritatis filii, vt eas vel refellant; vel si refellere suo Marte non possunt, tamen tanquam indubitatim falsas, penitus rejiciant.

39.

*Nullum o-  
pinioni im-  
probabili  
datur pa-  
trrocium  
ab auctori-  
tate:*

Hoc est, quod, vt verum ingenuè fatear, numquam satis æquo animo legere potuerim, id quod Neotericus quidam Doctor pro suis opinionibus stabiliendis attulit, quas tamen fatetur à Sede Apostolicâ esse proscrip̃tas. Ita loquitur Libro de Naturâ lapsâ, sibi que objicit. *Quid ergo ad propositionem quam proscrip̃sit Apostolica sedes? Hæreo* inquit, *fateor.* In re tamen certâ hæere, vt parum dicam, admodum est temerarium, incertique euentus. Cùm autem hæsisset paululum, mox resumpto spiritu, *sed quid ad doctrinam, inquit Augustini clarissimam constantissimamque, quam toties probauit, & sequitur, sequendamque monuit Apostolica se-*

40.

*Ne quidem  
D. Augu-  
stini.*

*Ianff tom.  
2. de nat.  
lapsâ l. 3.  
c. 22.*

des?

des? Itane verò, Sedis Apostolicæ decreta vis esse aliquando in rebus fidei sibi inuicem contraria, & infractam hæctenus auctoritatem existimas posse conuelli?

41. Sanè si mihi libros D. Augustini peruoluenti ea occurrerent, quæ aliquâ ratione decretis Pontificum viderentur esse contraria, multa statim ad manum essent quæ mihimet ipsi responderem. Ac *imprimis* dicerem, doctrinam illam quam in Augustino mihi legere videor, clarissimam non esse mihi; errare me, mentemque auctoris tanti, cum ea Pontificis decreto aduersa mihi videatur, penitus me non intelligere; denique non esse me virum illum, qui Augustini mentem in omnibus planè perspiciam sic vt errare non possim; quasi non nisi à me Augustinianæ sententiæ petenda esset interpretatio. Atque hoc est primum quod opinionibus meis, quas Sedi Apostolicæ video contrarias, sedandis responderem; de Augustini, inquam, doctrinâ à me perceptâ modestè sentirem, neque dicerem eam esse clarissimam. Quod si autem nihilominus mihi occurreret, eum tamen esse virum me, qui per viginti annos & eo amplius, indefesso labore sanctissimi Doctoris scriptis inhæserim, ea sapius euoluerim, eiusque mentem sagacitate maximâ indagarem; istud illicò retundendæ nimix, quam de me habeo, existimationi opponerem, idcirco me Augustini sententiam non percipere, quod mente non bonâ lucubrationibus tanti viri incubuerim. Id est, vt clariùs loquar, faterer legisse me Augustinum, non vt eius sensa perquirerem, sed vt præsumptis à me opinionibus, à tanto auctore peterem fulcimentum. Sic sanè video hæreticos passim, non viginti modo annos, sed & vitam omnem Sacris paginis indefesso labore, vt jactitant insudare, omniaque ipsis esse *clarissima*: neque tamen Orthodoxus quis diffitebitur, immani improboque studio, nihil eos admodum veritatis affecutos. Non enim sacros Codices euoluunt, vt auctoris Dei mentem percipiant, sed vt ad errores jam antea à se præconceptos, lecta detorqueant. Hoc autem non est Sacris litteris, aut Augustino, aut vllidemum auctori incumbere, sed suis erroribus cicatricem obducere, maloque suo peruicaciter adulari. Neque tum crederem ego per viginti annos Augustinum legisse me, sed me measque opiniones quæsiuisse in Augustino. Hoc autem non est lectorem agere, sed malæ causæ confarcinatorem

Quid respondendum sit auctori D. Augustini quæ videtur Pontificum decretis contraria. Prima responsio.

peffimum. Etenim solus ille, & quidem vt præclare D. Hilarius, *Optimus lector est, qui dictorum intelligentiam, expectat ex dictis, potius quam imponat; & retulerit magis quam attulerit; neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præsumpserit intelligendum.* Atque hæc quidem prima est responsio.

D. Hilarius. l. 1. de Trinit.

Secunda  
responsio.

Secundò si in Augustino doctrina occurreret planè Sedis Apostolicæ definitioni aduersa (quæ nusquam tamen est, vbi Augustinus perperam non exponitur) si tamen occurreret; responderem illicò, vt sua Apostolicæ Sedi stet authoritas, quam in rebus fidei contraria scio fundere non posse oracula; responderem inquam mihi, non esse doctrinam eam, *constantissimam illam quam toties probauit, & sequitur, sequendamque monuit Apostolica Sedes.* Satis enim constat, non omnia quæ Augustinus docuit, eo modo ab Ecclesiâ esse comprobata, (quod tamen falsò persuadere populo quidam voluere) sed ad quædam capita ea redigi, quæ quidem toti Ecclesiæ venerationi sunt, eruntque semper apud Catholicos omnes indubitata; non quòd apud Augustinum legantur, sed quòd à tanto viro lucubrationibus expressâ & illustrata, à Pontificibus tanquam fidei dogmata, deinceps fide Diuinâ credenda, toti Ecclesiæ fuerint proposita. Si itaque doctrinam aliquam in tanti viri libris inuenirem, clarè & manifestè Pontificum definitionibus contrariam, dicerem sanè eam non esse de numero dogmatum, quæ comprobauit Ecclesia, neque constantissimam illam doctrinam, quam toti Ecclesiæ obseruandam per Pontifices commendauit.

42.

Tertia  
responsio.

Tertiò talis doctrinâ Pontifici manifestè contraria in Augustino si occurreret, ego sanè doctrinæ Augustini non adhærerem, neque crederem auctori Ecclesiasticam doctrinam oppugnanti. Hæc enim errare non potest, ille potest. Neque verò Augustinus ipsemet sibi in hoc euentu crederet, si quidquam protulisset Ecclesiasticæ auctoritati contrarium, cum de seipso istud præclarissimè fateatur, *Ego verò Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ moueret auctoritas.* An verò credibile est, modestissimum viram Ecclesiæ Catholicæ auctoritatem ita reuereri, vt contra eius mentem, ne Euangelio quidem habiturus sit fidem, & tamen tam præfractè suæ inhæsurum opinioni, si aduersam Ecclesiæ sciret, vt sibi potius quàm illi diceret esse credendum? Absit profectò à viro sanctissimo tantum scelus.

43.

D. August. lib. contra epist. fundam. c. 5.

lus. Et ne quis fortè cauilletur, Ecclesiæ Catholicæ, non verò Pontificis auctoritatem Augustino tantoperè commendari; indigna, vt parum dicam, est homine Catholico ista tergiuersatio, & D. Augustino prorsus iniuria, qui sese auctoritatem Ecclesiæ fatetur suscipere *in eo inquit, qui Ecclesiæ, propter Apostolatûs sui primatum, gerit figuratâ generalitate personam*, id est Petro, eiusque successore Pontifice. Dignam profectò Augustino sententiam, quæ meritò omnium, qui sese tanti Doctoris discipulos profitentur, semper animis obuersetur; ne dum ab Augustino opinionibus suis perunt patrociniū, eius menti penitus aduersentur. Atque hæc sunt quæ respondenda iudico ad Augustini auctoritatem, tum cum eius doctrina, Pontificum definitionibus videtur esse contraria. Illudque vniuersim de rationibus, quibus quod verum est impugnatur, est dicendum, improbables nimirum esse & falsas, quantumcumque non vnius viri, sed multorum, sese in eundem errorem quasi protrudentium, stipatis agminibus propugnentur.

44. Tertiò denique, si praxim spectes, quasi improbabilis reputanda est opinio illa, cui modica quædam ratio affulget, quæ nec tanta sit vt prudentibus viris planè approbetur, nec tamen tam exilis, quin eâ utcumque moueantur, sic vt sententiam illam, falsi saltē penitus non coarguant. Eius generis opiniones, dirigendæ Conscientiæ nemo rectè admouerit: cum nemo, nisi admodum imprudenter, eas humanis actionibus, negotiis inquam, rebusque adiaphoris soleat adhibere. Quod autem rebus familiaribus prudenter dirigendis non sufficit, id sanè non nisi per summam imprudentiam, rebus Deum salutemque animæ concernentibus, applicatur. Quod verò imprudenter fit & tamen liberè, semper fit malè.

*Improbabilis in praxi est etiam, quæ parum admodum habet probabilitatis.*

45. Vt quid ergo, inquires, de opinionibus quæ parum sunt probabiles, in scholis à Theologis disputatur? Dicam. Vt nempe in necessitate constituto, ad manum sint, eique tunc possint suffragari. Nam quem necessitas incautum opprimit, is sanè, si à re, etiam debili, subsidium postulat, aliud cum non suppetit, prudenter agere res suas censendus est. Sic qui fluminis impetu abripitur, exiguos si qui occurrant ramos manu prudenter apprehendit, vt è vorticibus eluctetur; quos tamen amplecti, si validi obijciantur periclitanti funes, planè insanum sit & temerarium.

*Adhibenda tamen in extrema necessitate.*

rarium. Ita prorsus hinc agitur; in necessitate nisi quis sit, & quidem extremâ, parum probabilibus, & tantum non falsis opinionibus uti, imprudentis omnino est. At verò si extrema vergeat necessitas, opinioni eiusmodi adhærere, cum alia sese via eluctandi è discrimine non ostendat, prudentis est. Et quia prudenter adhibetur, nonnumquam eiusmodi opiniones sequi non tantum est licitum, sed etiam Charitatis lege sapissimè præscriptum. Sic, quamvis parum admodum esset probabile cereuisiam tenuissimam, Baptismi materiam esse legitimam; si tamen aliquem probabilitatis gradum habeat hæc sententia, quod aquæ naturam, ut fortè dici possit, cereuisia illa non exuerit, eam adhibere oportebit infanti morituro, dum alia ad manum non est aqua; ut puero, si vera aqua forsân ea sit cereuisia, succurratur: quæ tamen adhiberi minimè possit, si nulla ei probabilitas suffragaretur, veram esse Baptismi materiam. Sic in nullâ necessitate vinum baptizando puero rite adhibetur, quod fati superque constet, materiam Baptismi non esse; unde illegitimè illi adhiberetur quocumque in euentu, ac propterea sacrilegè.

*In omnibus  
agendum  
bona fide.*

Atque hæc quidem facillè erit aliis casibus applicare. Istud tamen seriò attendendum est, omnia quæ de probabili sententiâ actionibus suis applicandâ dicta, sunt, de iis quæ verè probabiles opiniones sunt, talesque sincerè existimantur, intelligenda esse. Dolo autem malo si quis agat, probabileque sibi fingat, quod tamen iudicat improbabile, is sanè velum peruersitati suæ obtendit; sed crimen quod nolle agnoscere, non euadit. Seriò cum Deo in salutis nostræ negotio agendum est: illudque sibi præfixum habere oportet, nolle se prorsus, ne ad minimum quidem vnguem, ab eius sanctissimis legibus, justâque in omnibus voluntate discedere. Ac propterea hæc inquirenda est omni studio: huius scientia, votis precibusque ab illo Sapientiæ omnis fonte enixè flagitanda. Quod cum pro tuâ virili egeris, nec tamen id fueris consecutus, ut veritatem illam adedè expetitam, penitus datum sit peruadere; tum sanè tam benignus est Dominus, & imbecillitati nostræ legislator tam accommodus, ut probabili ratione voluntatem suam, id est, diuinam conjectanti non succenseat, si fortè à veritatis apice aberrarit: legi  
sua

fuæ intercedit, quam nullo dolo malo videt infringi; actione inque quin imò approbat, quam quasi non displicituram, à mortali homine, hoc est rerum ignaro admodum, fide bonâ sibi viderit exhiberi.

## S. VI.

*In quo statu sit hodiè apud aduersarios tota de opinione probabili controuersia, & quantum in eâ promouerint.*

47. **H**Æc cum jam prælo parata essent, Amice Lector, incidi in libellum cui titulus *Basis totius moralis Theologiæ, per R. Julium Cremonensem, S. T. Magistrum Ord. Prædicatorum, Inquisitorem Mantuæ*. Impressus erat Parisijs. Agit is de hâc, quam modò exegimus, probabilium opinionum materiâ. Non tamen hæc eò hîc affero, quòd doleam non citiùs ad me perlatum, quasi si librum hunc refellere aut operæ pretium sit, aut lubentia; nihil enim quidquam, à me jam dictis adjiciendum magnopere censeo, vt basis illa totius moralis Theologiæ subuertatur.

48. Sed istud mihi visum est non illepidum, minimeque reticendum, quod in libelli præfatione reperi. Et hæc quidem non ab auctore est confecta, sed à quodam veteris Ecclesiasticæ disciplinæ restauratore, ex Montaltii & Wendrockii asseclis adjecta videtur temerè. Hic, inquam, vbi desperatâ jam vniuersim victoriâ, multa gariuit in vtramque partem, faciendæ concordiæ Probabilistas inter (Ita enim sibi aduersos vocant per contemptum) suosque commilitones, illos nempe moralis omnis disciplinæ arbitros, vt se præferunt, & censores; in hanc tandem delabitur decretoriam sententiam, quâ & victoriam retulisse, & controuersiam absoluisse, & Probabilistis os egregiè obstruxisse, sibi non sine plausu gratulatur. *Nec quidquam, inquit, eorum cau-*

*sam iuuant antiqui Theologi, quos magnâ pompâ & longo ordine pro-*  
*ferunt. Quorum etsi non nulli docuerint non necessariò tutiorem par-*  
*tem*

*vlimus aduersario- rum impa- tus & ob- iectatio.*